D. JOH. ADAMI HOFSTETERI,

Medici Practici Hallenſis,

EPISTOLA GRATULATORIA,

(in qua integrum generationis humanæ negotium exhibetur,)

ad

VIRUM-JUVENEM

NOBILISSIMUM atque CLARISSIMUM,

DOMINUM

JOHANN. KANOLDUM,

Wratislavia-Sileſium, &c.

AMICUM SUUM SVAVISSIMUM,

eruditiſſimo themate Inaugurali Doctoris Medici titulum capeſſentem.

NOBILISSIMO atque CLARISSIMO VIRO JUVENI,

DNO. JOH. KANOLDO, &c,

AMICO SUO SUAVISSIMO,

S. P. D.

D. JOHANNES ADAMUS Hoffteter.

1) *l, de plastica sem. fac. a. 5. b.*

2) *in fin. l. 1. de part. animal.*

3) *de us. part.*

4) *c. l. a. 6. a.*



Apienter admodum dixisse *Aratum* monet *Scheckius*: 1) *Jovis* nimirum *omnia plena esse, cum opera ipsius ubique sint admirabilia opificem magis admirandum declarantia*; quod & repetiit *Aristoteles*, 2) quando cum *Heraclito* ait: *DEum ubique præsentem esse, ubi sint opera ipsius*, i. e. *effectus causarum naturalium*. Consentit *Galenus*, 3) dum *in operibus naturæ perfectissimum* λόγον *& divinam quandam Creatoris providentiam inesse scribit, ut in his, quæ fiunt à natura, nihil potuerit ne cogitari quidem aliquid sapientius*. Quid mirum ergo, si cum laudato *Scheckio* 4) ex *Hippocrate naturam justissimam* appellitem. Elucet hæc ipsa *præsentia, providentia, & justitia divina* potissimum in *generatione animalium*, præprimis autem *hominis*, animalis perfectissimi: in *hac* quippe, ope *principii cujusdam agentis & vivificantis*, ex rudi & indigesta materia genitali adeo multæ variæque partes temperaturis, quantitate figura, motu, numeris, differentes, atque connexionibus & naturali compositione debitè cohærentes, efformantur, quales nulla unquam industria humana, per quodcunque demum artificium opus hoc aggressa sit, producere potuit: non obstante, quod de *Theophrasto Paracelso* legitur: *eum* scilicet *homunculum* quendam (simulacrum saltim hominis extra omnem motum & sensum constitutum, si vera est historia,) arte chymica e *sangvine menstruo mulieris & semine masculino* produxisse, quod ope liquoris è *Bismutho* prolecti (utpote in quo universalis ille omnium rerum naturalium fabricator, *spiritus mundi* in copia delitesceret,) factitatum esse, ex libro die Curieuse Untersuchung etlicher Mineralien, &c. 5) constat. *Plastica* ergo

5) *c. 3. §. 43. lit. E. a.*

virtus

virtus in *generatione hominis* utut DEus ipse *non sit, manus* tamen *Omnipotentissimi hujus Numinis est:* qua *perpetuitatem creaturæ istius* generosæ *prorogat* & *conservat.* Sacra fiebant ab Ethnicis veteribus *Veneri*, an ob admirandum opus generationis, an voluptatis simul gratia, vel alia etiam de causa; jam non disquiro, sufficit scire, *templa & statuas* eidem erectas fuisse, de quibus aliqua legi poterunt apud *Cœlium Rhodiginum*, 6) *Plutarchum*, 7) *Salmuthum*, 8) & *Annæum Robertum Aurelium*; 9) quin tanta veneratione *generationis opus* prosequebantur *Insulæ Fortunatæ & Calicutæ incolæ* ut referente *Rolfinccio* 10) *primitias virginales regibus & sacerdotibus offerrent.* Hujus ipsius *generationis humanæ* negotium arduum, VIR-JUVENIS NOBILISSIME, *cum in epistola honoribus Tuis dicata* tractandum susceperim, quantum quidem potero, brevissime deducturus sum; sed in abstrusissimo hoc *naturæ mysterio, circa quod solum DEum perfecte sapere* justissimè dixerim, si hallucinatus fuero, quilibet veniam eò facilius indulgebit, quo manifestius est, huic indagando neminem hominum vel *suffecisse unquam*, vel *imposterum suffecturum esse.* Prætermissis ergo, quæ ex Anatomia & Physiologia de organis speciei propagationi destinatis, seminisque prolifici præparatione ac sequestratione, huc referri deberent, (siquidem hæc à diversis Autoribus, præcipuè vero à *Kerkringio*, 11) *Riolano*, 12) *Bartholino*, 13) *Graefio*, 14) *Plazzono*, †) *Highmoro*, 15) *Schwammerdamio*, 16) *Malpighio*, 17) *Casp. Bartholino*, 18) *& Hornio*, 19) &c. sufficientissimè tradita sunt,) mox me ad ipsum *generationis humanæ actum* converto. Requiritur ad hunc primario *masculi & fœmellæ congressus naturali & legitimo modo institutus*, ac à *Bonacioli* 20) circumstantialiter descriptus: sub cujus perpetratione *coles virilis* non quidem *vaginæ uterinæ rugis*, uti vulgo putatur, compressus, sed ab irritatis *per imaginationem veneream* partibus nervoso-glandulosis, ac dehinc excitata & commota materia seminali titillante hanc crassiusculam, *spiritu fœcundo præditam*, à partibus firmissime adhærentibus, vesiculis puta seminalibus & glandulis prostatis, receptam, extra omne magnetismi uterini auxilium, (rem

6) l. 29. c. 13.
7) in quæst. Rom.
8) in Panciroll. memor. l. 2. rer. invent. t. 2.
9) rer. judic. l. 4. c. 10.
10) Ord. & method. generat. dicat. part. 1. c. 1. p. 20.
11) spic. anat.
12) in Anthr.
13) Anat. renov.
14) de organ. mul. & viror.
†) de par. gen.
15) in corp. hum. disquis.
16) in miraculo nat.
17) dissert. de utero & vivipar. ovis.
18) de ovar. mul. & gen.
19) in epist. de genital.
20) in Ennead. muliebr. c. 2. edit. 1.
posterior enim castr. est.

nefanda manſtupratione edocente,) per urethram cum conſtrictione quaſi quadam & prurigine voluptuoſa, non quidem in uterum (partim ob *immediatum* ſœpius cum membro virili breviore *contactum denegatum*; partim ob arctam *orificii* illius *occluſionem*; & demum ob *liquaminis ſeminalis*, *facta etiam impregnatione*, ordinarium *effluxum*;) ſed in fundum ſaltim vaginæ, ejaculatur. Exſurgit hinc quæſtio non parvi momenti; num ſemen maris *κατ' ὄικον* ſeu *materialiter*, num vero *κατ' ἐνέργειαν* ſeu *virtualiter*, vel *contagio ſpirituoſo conceptionem* cauſetur? quod poſterius *medici* ac *phyſici Neoterici ſinguli* agnoſcunt. Inſtar omnium circa hanc controverſiam occupatorum *Autorum* evolvi poterunt *Moebius* 21) & *Bohnius*. 22) Quomodo vero *mutatio iſthæc à non ente ad ens*, ut cum *Micrælio* 23) ex *Ariſtotele* loquar, *modo* dicto *virtuali* expediatur, ulterius jam diſquirendum. Nimirum irrigatis ſic *ſemine maſculino fœcundo* interioribus & calidioribus *vaginæ uterinæ locis anima ſeu ſpiritus formans* tanquam fluidum tenuiſſimum æthereum in actuante motu (poſitis ponendis) ſemper exiſtens, ac ſingulis corporis ſui ideis inſtructus, totam uteri ſubſtantiam (ob defectum tamen liquoris imprægnabilis, in quem ibi vitalitatem ſuam imprimere valeat, ad conceptionem ineptam,) aliasque adjacentes partes pervadendo ad ipſos usque teſtes muliebres (ſeu ovaria) à *ſummo creatore imprægnationi unice deſtinatos*, penetrat, inibique contentas *veſiculas* (*ovula*, quorum plurima in uno continentur ovario,) lympha limpidiſſima animata, dehinc fœcundationi apta, refertas, variisque fibrillulis ceu lineolis, (oculo armato perceptibilibus,) totius quaſi hominis rudimentum exhibentibus, inſtructas, afficit, iisque, partes fluidas per novum motum inteſtinum rarefaciendo ſeu expandendo, turgeſcentiam quandam vitalem introducit; quod *imprægnare* audit. Sed quæras hic; ſi *præſente aura vitali mulieris* illud ipſum ovuli liquamen limpidum jam *animatum* eſt, cur non exinde fiat imprægnatio? Ubi pro reſponſione notandum: præter illam prægnantiſſimam cauſam, VELLE puta DEI, qui *Adamo* & *Evæ* primo mandato: *creſcite & multiplicamini*; legem generationis certam præſcripſit,) *auram illam mulieris* extra concurſum *principii activi maris ad concipiendum determinatam* haud

21) *fund. Phyſiol. c. 20. Anno. 8. ſeqq. p. 553.*
22) *Circul. Phyſiol. anat. progymn. 1. p. 7. n. 17. ſq.*
23) *lex. phil. p. 536.*

haud esse; i.e. quamvis motu suo intestino vivido sentiente & vegetante instructa sit, hic tamen, utpote generalior, ad concipiendum non sufficit, quin opus est, ut *motu masculini spiritus* excitetur, & *ad generandum* peculiariter *specificetur*. Quomodo vero illa ipsa *excitatio* & *specificatio*, peragatur, decidere non audeo, quia res mihi videtur *mystica* soli DEO cognita. Motu tali impraegnativo praesente in puncto ovuli exilissimo saliente, vix sensibus patente, mox totus homo delineatur, secus ac sentit *Harvaeus*, 24) qui *punctum istud* sanguinis saltim atque cordis rudimentum constituere scribit. Ovulum vero istud impraegnatum, primo licet in majorem molem distentum, postmodum tamen rursus notabiliter subsidet, & non impraegnatis longè minus evadit: cujus causa in *corpore* illô seu *folliculô glandulosô*, ovulum obvolvente, (cujus mentionem injicit Graefius, 25) post coitum demum foecundum quoad aliquam partem è lymphatico ovuli succô minùs activô, *ob exagitationem archaei vitalis masculini*, prodeunte, generato, vasisque sangviferis per sui substantiam instructô, posita est; sicuti haec omnia prolixius deduxit laudatus *Bohnius*. 26) Post *dierum aliquot intercapedinem*, (certus enim horum numerus hic definiri nequit, cum robur membranarum, testiculorum, embryonis ipsius, aliaeq; circumstantiae, summoperè varient,) *vesicula* isthaec *ovalis* ex *fibrarum ovarii & tubae*, arctius illud jam complectentis, *pressurâ*, ac dicti *glomi glandulosi stricturâ*, papillâ ejus magis ad circumferentiam testiculorum ursâ, à membranarum testium compedibus, istas lacerandô, se liberat, ubi *per papillam folliculi memorati*, jam *dilatatam* magis, in *tubae Fallopianae orificium fimbriatum*, liberè aliàs in abdomine fluctuans, tempore verò *impraegnationis* peculiari quâdam *fibrarum tensione* & *incurvatione* à maris spiritu plastico testi applicatam, *hiatu* in ovariô relictô, illabitur, & ex hac, *contractionis musculosarum ipsius fibrarum adminiculô, ad uterum* defertur, per cujus *spongiosam* & *laxam substantiam* (*viae* enim *patulae* nondum detectae sunt,) tandem in *istius cavum* protruditur, quod *concipere* est. Hic impraegnationis & *conceptionis actus* adeò torsit laudatum *Harvaeum*, 27) ut *eam* instar cerebri conceptuum *incorpoream* statueret; quem falsè admodùm eludit *Marcus Marci*. 28) Delitescens

24) *de gener. anim. exerc. 17. & 56.*

25) *tr. all.*

26) *loc. all. p. 18. 19. seqq.*

27) *cit. tr. exerc. 72. tit. & concept.*

28) *Phil. vet. rest. t. f. 2. Part. 3. p. 374.*

ſcens ſic in utero matris *embryo* (ita enim nuncupari amat, quamdiu *epate uterinô* deſtitutus eſt,) membranulis ſuis, *in teſticulo virgineo cum ovulo jam exiſtentibus*, (chorio ſcilicet & amnio) incluſus, primo menſe, per *venularum ſuarum capillamenta* nutritur. Illarum ſiquidem *extremitates*, ovuli liquamento liberè innatantes, *ſubtiliores* hujus *particulas nutrititias* per *impulſum aliquem externum ab aura genitali virili, mollemque compresſionem à parietibus uteri*, recipiunt, & circulationem in embryone, formicâ exiliore, (*qualem* abortu rejectū obſervavit *Cl. Bergerus*, 29) inchoant; quo ſucco *in interiora embryonis* effuso *corculum ejus* ad aliqualem *irritationem* diſtentum robore auræ memoratæ ſeminalis *ad reſiſtentiam* quandam mox contrahitur, humoremque adductum denuò *per arteriolas* expellit: quibus *reciprocis motibus* vaſa cum ſtaminibus ſibi annexis extendit, & in *majorem molem* ſucceſſivè explicat; ſub quo *ſuccretionis actu fluidum* illud *albugineo-lymphaticum*, ſenſim *rubicundum*, ac tandem colorem *purpureum*, ſub nomine *ſangvinis*, acquirit: cujus *ſubtilius humidum* ac *generoſior pars* interiùs concentratur, *craſsa magis* & *viſcida portione* exteriora petente, & partes continentes augente. Quia verò *contentum in ovulo liquamen paucum* ab embryone (*parcius* quamvis ob placentam à natura nondum productam *incrementum capiente*,) tandem abſumeretur, hincq; *ulterior nutritio* deficeret; aliquid humoris nutritii *ab utero* in ſubſidium acquirit, & hoc aut *per canaliculos cœcos*, uterum & tunicas ovuli interjectos, germinis & ramuli vegetabilis fibrillarum aquæ impoſitarum modo, *imbibit*; aut, quod mihi magis videtur probabile, *per venulas* (ſecundinis præſentibus poſtmodùm umbilicales dicendas,) hactenus per *liquorem ovuli* liberè fluctuantes, hujus verò *pelliculas* tandem *ad uteri usque cavum perforantes*, *portionem* aliquam *humiditatis nutritivæ*, à turgeſcente ſpiritu maſculinô genitali *illuc motæ*, corpuſculi ſui centro advehendam, ſuſcipit; rem ingeniosè ſatis explicante *eôdem Bohnio*. 30) Poſtquam verò (ſangvine potisſimum arteriolarum fœtûs multum huc contribuente,) *placenta uterina*, ex *glanduloſo-fibroſa ſubſtantia coagmentata*, extremitatibus vaſorum ſangvifluorum indicatis ſenſim ſenſimq; *annaſcitur*, uteroq; firmiter ſatis, mediantibus fibrillis & vaſculis, *etiam annectitur*, illa jam præparando

29) *l. de nat. hum. p. 468.*

30) *l. cit. p. 26.*

rando alimento uberiori inservit: sub qua *modi nutritionis mutatione* & *embryo*, nomine mutato, *fœtus perfectus magis* audit. Prompta verò est *connexio secundinæ cum utero*, quippe *qui* turgescente à spiritu genitali virili *textura sua cavernoso porosâ*, plurimis venarum & arteriarum lymphaticorumq; ramificationibus undiquaque præditâ, ob sangvinis affluxum uberiorem, (primo præprimis mense elapso,) successivè *crassescit*, fibrisq; à se quodammodo divulsis *spongiosior* & *ad recipienda vascula & fibras secundinæ* aptior evadit: *cujus substantia æquè porosa est, ac vasis sangvifluis adeò scatet*, ut referente Excell. *Fried. Hoffmanno, &c.* 31.) *flatu per tubulum immisso lienis ad instar extendi possit.* Quo *ejus efformationis & connexionis* tempore tamdiu *fœtus* vel *leviculum* saltim *incrementum* capit, donec *illa sufficientis & insignis molis* producta sit. Hæc ergò *placenta* ex *uterinarum arteriolarum capillarium orificiis* & *glandulosa uteri substantia* succum chylosum nutritium in se recipit, qui postea inibi *cum sangvine embryonis mistus* ac unitus ab *extremitatibus venularum placentæ* haustus, per sui truncum, *venam* scilicet *umbilicalem*, ad fœtus *hepar* protruditur, & *circulandô in ejus augmentum* cedit. Neque tamen hâc solùm viâ, sed *per os* etiam, defendente *Harvæo*, 32) (organis chylificantibus perfectionem suam nactis) *liquore amnii, ab ipso fœtu proveniente*, (de quo solidè satis *Bohnius*, 33) cui immediatè innatat, *idem nutritur & augetur*. Illum enim humorem *particulas nutritias plurimas* in sinu suo fovere nemo forsitan inficiabitur, qui nudis etiam oculis *pingvem ipsius substantiam* vel semel saltim conspexit, quem *lacti consimilem*, imò ferè *lac ipsum* esse cum *Waldschmidio* 34) afferere haud vereor, quùm & *Hippocratem* 35) hoc ipsum factitasse legerim. *Istud tamen liquamen, quamvis ab extra visceribus digestionis ingeri concedat, ad corpus tamen fœtus nutriendum specificè ordinatum esse negat*, laudatiss. *noster Hofmannus*. 36) *Grandiore* deniq; *fœtu* firmatis jam illius membris, i.e. *fibris in membranas, his in cartilagines, istis autem in ossa transeuntibus, ut stylô Hoffmanniano* 37) efferam, vix amplius dulcis talis modi, sed *aqvosior humor* è *corpusculo ejus* transsudat, qui priore sensim evanescente, *in alimentum ulterius non impenditur*, quoniam, his contingentibus, tempus *generationis in specie sic dictæ* seu *partûs*, appropinquat. Hujus *causam urgentem*, respirationis necessitatem, & *agentem*, pressuram uteri, vicinarumq; partium spasmos

31) *Fund. med. Physiol. c. 8. §. 32. p. m. 54.*

32) *cit. tr. exerc. 58.*

33) *tr. all. c. 2. p. 30. seqq.*

34) *instit. med. p. m. 32.*

35) *de carn. t. 8. & de nat. pueri t. 21*

36) *diss. de morb. fœt. in uter. mat. §. 15. sub fin. p. 19.*

37) *all. tr. c. 8. §. 20. p. 52.*

mos, ſuppono: *fluidum* ſiquidem *fœtus intrinſecum* ſine *motore externo* conſervando corpori *majori* intra uterum non amplius ſufficit. *Legitimum* interim *generationis* ſeu *partus tempus ſub initium menſis decimi, illâ phaſi lunæ, quâ ante impraegnationem menſes fluxerunt,* docentibus ita acutisſimo noſtro *Stablio* 38) & *Bohnio* 39) ſemper incidit. *Situs* foetus *naturalisſimus* eſt, ſi *caput præcedit*; in quod *aliquot ante partum horis* eundem inclinare obſtetricibus notum eſt. Reliqua ſuppeditat fusè *Soolingen*, 40) it. die Brandenb. Weh-Mutter/41) & in compendio prælaud. *Dn. Stablius*. 42) Patet è recenſitis, *foetum in utero non reſpirare*; quam ob cauſam *& circulatio ſanguinis* in hoc *aliter* adornata eſt, quam evitandæ prolixitatis gratiâ hic non trado, perſpicuè quippe delineatam â *Bohnio*, 43) apud *quem* 44) *de gemellorum* etiam *conceptione* conceptus invenias accuratisſimos. *Controverſiæ*, quæ aliâs circa *generationis negotium* occurrunt, meas non facio, cum hæ prolixè *ab Autorib9* diſcuſſæ ſint, illarum locô quæſtionem potiùs propono; unde ſc. *differentia ſexus* in conceptione proveniat? Cujus rei cauſam cum *Waldſchmidio* 45) in *auram ſeminalem virilem* & *muliebrem* rejiciendam exiſtimo: harum enim *alterutra* tempore impraegnationis *ex libidine prædominante* vincens vel *maſculum* vel *foemellam* exprimit: unde *libidine priores mulieres filias, mares* verò *filios*, experientiâ hoc docente, procreant. *Similitudo fœtus* cum *alterutro parentum* vel *aliis* etiam *perſonis* tùm ex *ſeminali*, tum *concepta idea*, oritur. Per *poſteriorem* varii ſæpius à prægnantibus fœtui imprimuntur nævi, de quorum *productionis causâ & modo* ſupra memoratus laudatisſ. *Hoffmannus* 46) ſufficientisſime egit: quibus in gratiam Practicorum adjicio: *nævos iſtos* in recens natis puſionibus *aliquotâ abſterſione ſecundinarum calidarum* matris indubitato tolli, ſicuti multiplici experientiâ id edoctus ſum. Stupenda circa *imaginationis* prægnantium *effectus* ſuppeditabit *Marcell. Donatus*, 47) atq; *Marcus Marci* 48) Et hæ ſunt cogitationes de *generatione*, quas TUI *cauſa*, AMICE ÆSTUMATISSIME, properanter ferè concepi. Deſunt quidem aliqua, ſed quæ pagellarum epiſtolæ anguſtia adjicere vetat: ſupplebit forſitan illa magnam partem *Diſſ. Inaug.* Tua ex eodem ipsô fundamentô fluens. Indicat illa ſanè TE *generationis literariæ* oppido gnarum: *multâ* ſiquidem *eruditione impraegnatum* ingenium Tuum ſolers laborioso conatu *non concepit tantum*, ſed in lucem jam propediem *ventilandum producet fœtum elegantisſimum*: Diſſertat. innuo de ABORTU & FOETU MORTUO. Non recenſebo prolixè *animi* TUI dotes: ſunt enim hæ *Bigæ Præceptorum Tuorum Excellentisſimorum*, HOFFMANNO & STAHLIO noſtris, notisſimæ: ad quorum *beneuolentiam* laboriosâ Tuâ in *ſtudiô machaonio induſtria, præclararumque virtutum imitatione*, aditum Tibi parando eam de facili & ita quidem impetraſti: ut *Te eruditione prægnantem* dignisſimum judicarint, *quem* SUMMIS etiam ARTIS MEDICÆ HONORIBUS *impraegnent* ac condecorent. Inſervient hi ulterioribus *titulorum & fortunæ ſecundæ generationibus*. Nullus enim dubito, *Benignisſimum Divinum Numen* gratiâ ſuâ clementisſimâ præclara Tua cœpta & impoſterum adjuturum, aucturum & promoturum eſſe; id quod *conceptu mentis* ſincero voveo. Dab. Halæ Magdeb. menſe April. Ao. 1704.

38) *in diſſert. nupera de puerp. affect. ſ. 1. p. 8.*
39) *all. tr. progymn. 3. p. 34. 35.*
40) in den Handgriffen der *Chirurgie p. 170.* Vom Amtu. Pflicht der Wehmütter/ *impr. cap. 22. p. 640. ſeq.*
41) *paſſim.*
43) *tr. cit. p. 33. 34.*
44) *cit. l. progymn. 1. & 2. p. 22. 24. & 25.*
45) *cit. l.*
47) *in Hiſt. med. mirab. l. 7. c. 3. p. 664. it. l. 2. c. 1. â p. 83. usque 91.*
48) *Idea Ideam oper. part. 1. c. 4.*